

† R. P. Thomas Brian Lonergan (1903-1931)

(Prov. Toront.)



Thomas Brian Lonergan in urbe Quebecensi in lucem editus est die 5 Oct. 1903. Ibi in schola nostra paroeciali institutus, a puero vocationis ad Congregationem et sacerdotium multa dedit indicia; quamobrem litterarum studiis incubuit primum inter iuvenistas nostros in *Kirkwood*, Missouri, et postea, Provincia Torontina incepta, in novo iuvenatu *Brockville*. Quo cursu perfecto in novitiatum S. Ioannis (*Saint John, New Brunswick*) introivit et die festo S. Alfonsi 1924 inter eius filios professione religiosa connumerari meruit. Deinde in *Esopus*, New York, translatus, se valde

habilem exhibebat ad studia altiora philosophiae et theologiae. Sacerdotio auctus est die 6 Iunii 1929.

Simulac totum cursum absolvit, domui Sancti Ioannis adscitus est, ubi officiis paroecialibus magna cum laude et devotione vacabat. Sed apostolicus zelus maior erat viribus Thomae numquam robusti et tantulae staturae. Hebdomade Sancta 1931 pneumoniam contraxit, qui morbus causa fuit cur tam immatura morte nobis abreptus sit. Omnia artis medicae adiumenta adhibita sunt in nosocomio Sancti Ioannis, at frustra. Tandem die nono post inceptum morbum, sacramentis Ecclesiae munitus, serene obdormivit in osculo Domini die 13 Aprilis 1931. Quanti fideles pii urbis ipsum aestimarent, magno concursu exsequiarum et praesertim pompa funeris ostendebatur. Cadaver in Quebec translatum est, quo die 16 Aprilis pervenit. Postquam corpus in domo nostra expositum est, Quebecenses, qui vix duobus ante annis Missae primae eius astiterant, plurimi ad orandum pro eius quiete aeterna venerunt. Sepultus est die 18 Aprilis omnibus Ecclesiae ritibus atque in coemeterio nostro ad Sancti Patritii quiescit.

Morte Patris Lonergan Provincia Torontina sodalem iuvenem atque industrium amisit, cuius opera pauca brevi multa ad laudem Christi sa-

lutemque animarum effecerunt. Per vitam brevem tribus praecipue qualitatibus insignitus erat, spiritu scilicet gaudio cum omnibus, praesertim confratribus, ingenio adulescentes ad spiritualia attrahendi, atque facultate multa narrandi et scribendi ad maiorem Dei gloriam profectumque Congregationis, in cuius sinu mortuus est. R. I. P.

---